

tum, quantum est illud, quod ad procurandam animarum salutem conducit. Dies citius me deficeret, quam oratio, si cuncta, quibus gaudet coetus noster Lutheranus, vellem recensere. Tanta enim est eorum copia, ut omnia nequeant vno sermone comprehendi. Aliis idcirco celebranda relinquo, quae mihi attingere, eo minus est licitum, quo magis eloquentiam in tacendo, a praestantissimo *Morhofio* (10) commendatam, hac vice a me quoque observandam esse, intelligo. Vnicum tamen, idque illustre, pace vestra, Auditores, producam in medium, & hodierno die saeculari, & auctoritate laudatissimi eiusdem, qui hodie est, Administratoris, quem honoris causa nomino, impulsus, *in memoriam & laudem illustris STIPENDII SCHABBELIANI* verba quaedam facturus. Quod dum molior, nil amplius a Vobis, Auditores honoratissimi, decentissime expeto, quam benevolentiae vestrae, benigna auscultatione declarandae, stipendium, quo contentus ero, quodve animum mihi addet, & ad propositum pro virili exequendum me incitabit.

Primam orationis partem ipsa aequitas iubet assignare illi, a quo haec omnis causa ducitur, atque id, cuius celebrandi ergo hunc locum conscendi, trahit originem. Laudandus idcirco statim est HENRICVS SCHABELIVS, quem vicina nobis haud incelebris Wismaria, in qua pater ipsius, HENRICVS SCHABELIVS, Consulis munere magna cum laude functus est, produxit in lucem, perinclytum autem Hamburgum suos inter cooptavit, ad beatam usque mortem, quam anno millesimo sexcentesimo trigesimo nono obiit, liberaliter fovit, primariisque ornamentis civicis adscripsit. Ei cum in coelibatu manere placeret, adeoque naturalibus non gauderet liberis, filios tamen literarios adoptavit, quos amore, paterno haud dissimili, est complexus. Vitae genus elegerat istud, quod honestissimam humanaeque societati utilissimam mercaturam faciendo transigitur. Quod vero
litteras

(10) *Dissertatt. Academic. p. 446 sqq.*